Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25986
Copyright: Admont, Benediktinerstift

aliquid simplici intentione damus sic contigerit ut eo aliquid malum patiatur non imputabitur nobis secundum quod illi male evenit, sed secundum intentionem qua dedimus. Et econtra si intentio mala fuerit et actio exinde procedens mala erit atque perversa adeo ut non simplici intentione da÷datum imputabitur. Nec mirum si per corporis actio designetur, cum mala acta nostra apostolus membra appellet dicens. mortificate membra vestra que sunt super terram. Et ut ostenderet que, subiunxit. fornicationem, inmunditiam et cetera. Si enim lumen quod in te est tenebre sunt, ipse tenebre quante erunt, id est si perversa fuerit intentio, multo magis opus. Cuius ergo simplex est intentio in celo, et cuius perversa, thesaurizat in terra. Nemo potest duobus dominis servire. Dicit AUG(ustinus) superiorum verborum expositionem his verbis contineri. quia sicut nemo potest partim in celo et in terra thesaurizare, et simplicem et nequam oculum habere, ita nemo potest duobus dominis servire. Quare nobis reddit causam. Aut enim unum odio habebit, id est diabolum, et alterum diligit, id est dominum. aut unum sustinebit, id est diabolum, et alterum contempnet, id est dominum. Et bene non dixit alterum diliget, id est diabolum, sed sustinebit. quia nullus est tam malus qui se dicat velle diabolum diligere, cuius tamen propter peccata sustinet iniquissimam servitutem. Quod dicit contempnet, non timet significat, quia quasi securus de bonitate dei dicit. Misericors et miserator dominus non patietur creaturam suam perire in eternum. Hac falsa securitate multi perierunt, a qua nos spiritus sanctus revocat per Salomonem dicens. Fili peccasti, ne adicias peccatum super peccatum. Et ne dicas in corde tuo miseratio dei magna est. cuius est tanta miseratio quanta illius qui ad se conversis omnia peccata relaxat. Item cuius est tanta severitas, qui nec naturalibus ramis, id est Iudeis pepercit. Qui autem sint hi domini manifestat subdendo. Non potestis deo servire et mammone. Mamona hebraice, latine interpretantur divicie. Congruit et illud quod punice mamon latine dicitur lucrum. Notandum quod non ait non potestis deo servire et mamonam habere, id est divicias. quia multi habent divicias sed non serviunt eis. quia spem suam in eis non collocant, nec illas cum amore possident, sed prout ratio poscit pauperibus erogant. Cupidi econtra divitiis serviunt, qui spem suam in illis collocant, easque cum amore possidentes custodiunt. Et quia vult nos dominus non pro temporalibus sed pro spiritalibus esse sollicitos, subiunxit.

Ideo dico vobis ne .XXX.II. solliciti sitis anime vestre quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Hoc loco recordari debemus quod ille primus homo propter concupiscentiam vetiti cibi transgressus precepta dei, agnovit se nudum, fecitque sibi perizomata. post hec tunicas pellicias. A quo genus humanum descendens et ci(…)

÷ tum aliquid licet proficiat alicui, non secundum quod illi bene evenit, sed secundum quod male datum est